DE VERITATE ET ANTIQVITATE ARTIS CHEMICÆ ET PVLVERIS

SIVE

MEDICINÆ PHILOSOPHORVM

VEL

AVRI POTABILIS,

Deque illius materiâ & compositione, eiúsque mirâ vi in tria rerum genera Animale, Vegetale & Minerale,

TESTIMONIA ET THEOREMATA,

Ex variis auctoribus sacris, Theologis, Iurisperitis, Medicis, Philosophis, & Poëtis, per ROBERTVM VALLENSEM *selecta.*

LVGDVNI BATAVORVM,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Franciscum Raphelengium.
cIↃ. IↃ. XCIII.

ROBERTVS VALLENSIS
RVGL. EBROIC. MEDICINÆ
CHEMICÆ STVDIOSO.

Fæcibus excußis, Res vilis desinit esse.
Illa coniungas semen vtrumque simul.
Igne tepescenti foueas mundata, sed illa
Tu cribro separes sæpius Hermetico.
Carcere solutus sensim Cyllenius arte
Iungatur simili, perficietur opus.
Ille Gabricus erit, qui Leyam comprimet, ambæ
Conficient essam, mox cinis almus erit.
Quò citius, cui non est par, medicina paretur,
Sæpius aspersa fusile sal facias.
Hanc Plato diuinus fœdus vocat, aurea Naso
Vellera, & Hesperides aurea mala legunt.

PRÆFATIO.

Ars Chemica nomen sumpsit à verbo Græco χημεία, ἀπὸ τοῦ χέω, quod fusionem significat: propterea quòd ars illa fusoria, pars est philosophiæ naturalis rerum mineralium, & secretior ars, ab antiquis vocata Secreta philosophia, & Ars sacra, quæ mineralium, quæ in igne fluunt, causas & naturas perscrutatur, ex quibus maximè docet puluerem quendam fusilem, vel leuissimo igne ad modum ceræ liquescentis componere: siue illũ, lapidem, siue salem, siue oleum, siue sulphur, siue Elixir, siue medicinam, siue Aurum potabile appelles. Qui in tria rerum genera, Animale, Vegetale, & Minerale miram vim habet: vt posteà tertio capite fusiùs explanabitur. Illa autem vulgò dicta est Alchemia, siue

Alchymia, articulo præpoſito more Arabum & Græcorum. A L enim articulus eſt, qui apud Arabes nominibus tantùm, quandoque ſecundum exigentiam loci præponitur, ſignificationem tamen eius nominis cui præponitur non immutat, vt Albacham, & Bacham: Alchalef, &Chalef, ſunt idem. Similiter Græcis Alchemia & Chemia idem denotant, ſicut & Ptolemæi compoſitionem μεγίστην, Almegiſtum vel Almegeſtum vocauerunt.

Arabes hoc nomen à Græcis mutuati ſunt.

DE VERI-

DE VERITATE ET ANTIQVITATE ARTIS CHEMICÆ,

CAPVT PRIMVM.

ESDRAS propheta, Lib. 4. cap. 8.

DICAM autem coram te ſimilitudinem, Eſdra. Quomodo autem interrogabis terram, & dicet tibi: quoniam dabit terram multam, magis vnde fiat fictile. Paruum autem pulverem, vnde aurum fit.

SALOMON, Eccleſ. cap. 38.

Vide Arnal. pag. 13.c.

Altiſſimus creauit de terra Medicinam, & vir prudens non abhorrebit illam.

DAVID, Pſal. 12.

Eloquia Domini, eloquia munda, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum ſeptuplum.

Alij ita vertunt.

Eloquia Domini, eloquia munda, argentum igne examinatum, probatum ter, repurgatum ſeptuplum.

Vel,

Eloquia Domini, Eloquia munda, argentum igne examinatum in vaſe terreo, purgatum ſepties.

Vel,

Verba Dei, verba pura, argentum in aludele examinatum in terram, seu puluerem, refusum septies.

Hoc enim vocabulum Aludel Arabicè, *sublimatorium* Latinis est, quo Arabs ille Geber Abenhaen, vel Ebenhaen inter Arabes chemicos philosophos præcipuus, Auicenna, Rhazes, Hali, Morienus, & alij plerique Latini frequenter vtuntur. Est autem Aludel, siue Sublimatorium, vas in quo fit sublimatio Chemica: Quæ est rei siccæ per ignem eleuatio cum adhærentia sui vasis. Rei (inquam) siccæ, id est, inferiorum elementorum, seu materiæ. Per ignem, scilicet lenem, æqualem, humidum, continentem, excitantem, digerentem, & propinquum natura. Eleuatio, id est, conuersio, siue nobilitatio, & perfectio. Cum adhærentia sui vasis, id est, connaturalis, salsuginosi, & in quo est virtus lapidifica. Illa nanque sublimatione, septies quidem, vel pluries iterata, argentum (quod natura sua auro est impurius, & imperfectius) auro quouis naturali, siue vulgari reddi potest multo perfectius. Nec intelligas hanc perfectionem, puritatemque sibi sola fusione accedere. Si enim illud summa diligentia sæpè ac sæpiùs igne examinaueris, propterea perfectius, synceriusve auro naturali non reddes, nisi sublimatione illa Chemica septies, vel pluries iterata, ritè vtaris. Ob id igitur verissima est illa similitudo, qua propheta ille Dauid, verba Dei vera, & syncera tali argento arte Chemica defæcato, ac præparato comparauit potiùs quàm auro naturali

Geber lib. 2. cap. 43.

Hermes Trismegistus, *Cribra eas cribro suo septies.* Io. Dastinus *lib. 3. Rege spiritu septies.*

rali siue vulgari. Quod quidem aurum quamuis purum, & perfectum inter omnia metalla existimetur, aliquas tamen fæces, licet paucas, heterogeneas in se continet. Alioqui enim propheta verba Dei syncera, potiùs auro, quàm argento, comparasset.

Prosa, quæ ab ecclesia decantatur die D. Ioan: Euangelistæ sacro, mense Decembri, auctore Adamo à sancto Victore. Cuius initium est, Gratulemur ad festiuum, &c.

Cùm gemmarum partes fractas solidasset, has distractas tribuit pauperibus.

Inexhaustum fert thesaurum, qui de virgis fecit aurum, gemmas de lapidibus.

Diuus enim Io. Euangelista ab Auicenna lib. De anima, dictione prima, ad finem cap. septimi, & à Vincentio, in Speculo naturali, inter Christianos qui artem Chemicam exercuerunt, enumeratur.

Hermes Ægyptius, quem Trismegistum vocant.

Verum, sine mendacio, certum, verißimum. Quod est superius, est sicut quod est inferius: & quod est inferius, est sicut quod est superius, ad perpetranda miracula rei vnius. Pater eius est sol; Mater eius est luna. Portauit illum ventus in ventre suo. Nutrix eius est terra. Et vis eius est integra, si versa fuerit in terram. Sic habebis gloriam claritatis totius mundi: Ideo fugiet à te omnis obscuritas, &c. Obscuritas, *id est*, inopia & ægritudo.

B. Tho. Aquinas in 2.2.q.77. articulo 2.

Si autem per Alchymiam fieret aurum verum, non esset illicitũ ipsum pro vero vendere. Quia nihil prohibet artem vti aliquibus naturalibus causis ad producendum naturales & veros effectus: sicut Aug. dicit in 3. De tri. de his quæ arte dæmonum fiunt.

Idem in principio lib. 4. Meteor.

Præcipuus Alchymistarum scopus est, transmutare metalla, scilicet imperfecta, secundum veritatem, & non sophisticè.

Idem.

Auicenna. *Ar. vi. & sulph. est omnium materia metal.*

Metalla transmutari possunt vnum in aliud, cùm naturalia sint, & ipsorum materia eadem.

Idem alio loco.

Charißime fili, non abhorreas super nomine lapidis. Nullus enim vnquam potuit, nec in posterum poterit tingere aurum, nisi cum auro. O charißimi diuinæ artis filij, declinate ab omni errore cæcitatis, & attendite veritatem consistere tantùm in tribus, ex quibus componitur verum philosophorum Elixir, videlicet ex lapide lunari, in quo est sulphur album; ex lapide solari, in quo est sulphur rubeum; & lapis Mercurij amplectitur vtrumque, album scilicet & rubeum.

Gulielmus Parisiensis.

Intentio Philosophorum est facere de corpore spiritum, scilicet argentum viuum purum, quod dicitur philosophicum. Cùm autem oporteat componere lapidem

dem ex duabus substantiis, volatili & fixa, necesse est prius ex vnione illarum conficere eorum argentum viuum, antequam fiat Elixir completum.

Io. Duns Scotus, doctor subtilis.

Aliqui dicunt, bonum esse mutare materiam de vno vase in aliud interdum, quod verum non est. Sed sufficit lapidem semel poni in vase suo bene clauso, nec inde egredi, quousque totum compleatur magisterium: & quod amplius est, à malo est, vt in generatione hominis, & omnis vegetalis, nunquam nisi semel matrici imponitur semen.

VINCENTIVS Monachus lib. 5. natural.

Noë hanc Philosophorum medicinam tenebat, & quingentesimum annum agens, generauit Sem, Cham, & Iaphet.

Præterea Arnaldus à Villa noua in quodam tractatu loquens de putrefactione, & mutatione materiæ lapidis in varios colores, citat locum illum Ioëlis prophetæ, vbi ait, *Solem conuerti in tenebras, & lunam in sanguinem.* Et Ioan. Dastinus Anglus lib. 3. *Obscuratus est sol in ortu suo, & luna à suo lumine declinauit.*

RAYMVNDVS Lullius lib. Codicilli, cap. 53.

Facimus tamen gratia gratis data per immortalem hominem, nostram secretam dissolutionem intra nouem dies mediocriter intellectam, cùm non sit transitus à prima ad tertiam, nisi per istam, quæ media est inter

hanc & illam. Hoc enim est secretum à mortali nemine reuelandum.

CHRYSOGONVS Polydorus, vel Osiander, vt nonnulli volunt.

Iudæi Principem Tyri, apud Ezechielem, Alchemiam exercuisse aiunt, ideoq́; prophetam illi exprobrare, quòd eius artis fiducia, Deus sibi esse videretur. Nam propheta (vt ipsi aiunt) narrat, quòd aurum & argentum quod in thesauris suis haberet, non è terra effodisset, non à subditis exegisset, nec hostibus eripuisset, sed sibi ipse fecisset, hac scilicet arte fretus: ideoq́; Daniele sapientiorem esse, & omnia secreta naturæ perlustrasse, cùm sub persona Dei diceret ad eos: Multiplicaui eis argentum, & ipsi fecerunt idolo suo aurum.

IO. ANDREAS Iurisperitus in additionibus ad Speculum, Rubr. De crimine falsi.

Nostris diebus habuimus Magistrum Arnaldum de Villa noua in curia Rom. summum medicum, & theologum, de quo scripsi de obseruatione ieiuniorum conciliorum: Qui etiam magnus Alchymista virgulas auri, quas faciebat, consentiebat omni probationi submitti. Hæc ille. Andreas enim à doctis omnibus ad cælum vsque laudibus vectus est, quem Ludonicus Romanus omnium hominum præstantissimum appellauit.

OLDRADVS iurisperitus libro conciliorum, q. 74.

Oldradus enim & Ioan. Andreas artem illam

Chemicam vulgò Alchymiam, veram esse probant, & non prohibitam, nec metallum vnum in aliud transmutari inconueniens esse. *Nam (vt ipsi aiunt) & videmus, quòd quandoque ex re mortua producitur viua; vt videmus ex vermibus, ex quibus producitur sericum, & aliis pluribus: & ex herba producitur vitrum. Multo magis ex metallis, in quibus maior est conuenientia & similitudo.* Nam (vt ipsi tradunt, & *habetur in lib. de proprietatibus rerum, in cap. de Alchymia) omnia metalla procedunt ex eodem principio, scilicet ex sulphure, & argento viuo. Cùm ergo ars imitetur naturam ar. ff. de adopt. L. Si adoptio, non videntur isti Alchymistæ peccare. Nam cùm sint quasi ex eodem principio, in similia, in habentibus symbolum, facilior est transitus. Insunt enim, vt dicit B. August. lib. De ciuitate Dei; rebus corporeis per omnia elementa quædam occultæ seminariæ rationes, quibus cùm data fuerit opportunitas, temporalis & casualis, prorumpant in species suis modis & finibus.* Hæc Oldradus, & Ioan. Andreas. Quem locum Augustini citat Gratianus causa 26. in 2. parte, q. 5. c. Nec mirum. Præterea ait Aug. lib. 3. De Trinit. *Omnium quippe rerum quæ corporaliter visibiliterque nascuntur, occulta quædam semina in istis corporeis mundi huius elementis latent.* Et Gaspar Contarenus Card. lib. De elementis 3. ait, *Attamen in metallorum generatione nullus ambigit quin omnia fiant ex argento viuo & sulphure.*

Auicenna *Ar. vi. est elementum omnium corporum liquabilium.*

Videmus enim vermem naturaliter, & per artificium naturale in muscam mutari, quæ ab eo differt specie; & vitulum strangulatum in apes, frumentum in lolium, & canem strangulatum in vermem, per ebullitionis

tionis putrefactionem. Sed hoc non facimus nos, facit autem natura, cui administramus. Similiter, & metalla non mutamus, sed natura, cui secundum artificium materiam præparamus: quoniam ipsa per se agit, non nos, nos verò administratores illius sumus. Hæc Geber Abenhaen, vel Ebenhaen. Augustin. item ait De Trinit. lib. 3. *Sicut ergo nec parentes dicimus creatores frugum, quamuis eorum extrinsecus adhibitis motibus ista creanda Dei virtus interius operetur.* Hæc ille. *Ars enim imitatur naturam, & in quibusdam corrigit & superat eam, sicut iuuatur natura infirma, medicorum industria.* Hæc Dastinus lib. 1. *Ars namque sæpè naturam, si quando impediatur, adiuuat.* Geber. lib. 1. cap. 9. Artificium in multis naturæ defectum complet. Sunt & qui capillos mulierum in serpentes verti posse asserunt. Videmus etiam & lapides, & ranas è cælo decidere, & lapides in renibus & vesica hominum gigni.

Auicenna lib. De anima, dictione prima, cap. 1. ait, *De hordeo potest facere homo viuentem. Nam si accipias stercus equinum, quod non est aliud, quàm hordeum, & mittas in loco calido apto, ex illo procedent bestiæ, quas vocant Abumes: quemadmodum musca de putredine aëris, & pediculi de humorum hominis putredine oriuntur.* Hæc Auicenna.

Sic enim vi quadam occulta, abdita, & mira natura dispositione, atque solertia hominibus ignota, virtutes seminariæ prorumpunt in species debitas suis modis & finibus determinatis à natura, vt ait B. Augustin.

Quia, vt dicit Arist. *Ex quolibet non fit quodlibet, sed determinatum ex determinato.*

Nihílque conuenit rei (inquit Io. Dastinus lib. 1.) *nisi*

nisi quod propinquius est ei ex sua natura.

Idem Dastinus, *Natura creantur principia, & arte de illis fiunt composita: sic etiam lapis noster arte perficitur, quoniam vt perficiatur, est aptus natus per naturam: tamen natura non habet motum vt fiat Elixir completum, nisi operatione perficiatur & arte.*

Præterea, vt scribit Theophrastus lib. De historia plantarum 2. cap. 6. *In animalium genere mutationes naturales cernuntur, vel temporis ratione, vel pro locorum mutatione, vel generatione. Nam ex tinea, eruca, tum ex ea papilio gignitur. Inq; aliis pluribus hoc euenire notatum est. Item sisymbrium*, vt idem ait, *nisi à cultura coërceatur, in mentam mutari videtur.* Hæc ille.

Albertus lib. mineral. 3. cap. 2. *Prima materia metallorum est humidum vnctuosum, subtile, quod est incorporatum terrestri subtili fortiter commixto, ita quòd plurimum vtriusque non tantum cum plurimo vtriusque, sed etiam in plurimo vtriusque.*

Aristot. lib. 3. Meteor. cap. 15. dicit, Metalla fieri ex aqueo halitu, & sicca exhalatione, quæ sunt ar. vi. & sulphur. Metalla autem omnia, vt ad rem redeam, fiunt ex vna eademq́ue materia propinqua, vtpote ex ar. vi. & sulphure, quod omnes asserunt. Differunt tamen forma, id est, puritate & coctione seu digestione. Spoliatio verò accidentium, vel formarum ipsarum essentialium corruptio, & aliarum introductio, possibilis est, & in habentibus symbolum facilis est transitus vnius in alterum. Quare metallorum est transformatio. Nam vt circularis est generatio elementorum, ita & metallorum ex se inuicem: quod

quod Hermes Trismegistus, & alij philosophi asserunt. *Et elementa vicissim inter se generantur & corrumpuntur: materiam ergo primam communem inter se habent, atque eandem. Differunt autem forma & specie.* Albertus de mineralibus lib. 3. cap 6. *Inter habentia symbolum in materia, & virtutibus & potentiis naturalibus facilis est transmutatio adinuicem.* Idem lib. 3. cap. 6.

Gaspar De elementis lib. 1.

Nec te cōmonere debet quod scribit Titelmannus in suo cōpendio philosophiæ naturalis, lib. 1, cap. 24. de cœlesti materia propter perfectionem & potentiam formæ potētissimæ in informando, quæ illi data est ab initio, eam de forma in formam transire non posse, quoniam agens naturale deest, quod illi possit vel aliam imprimere, vel suam auferre. Non enim propterea ille concludit idem accidere rebus inferioribus naturalibus: Ait enim cap. 25. occasionem similem non habere, cùm priuatio non sit vera causa per se effectiua ipsius transmutationis de forma in formam, sed tantùm occasio & causa sine qua nō: nisi enim in materia esset priuatio formarum absentium, & nisi eas esset apta habere, quas non habet, numquam de forma transmutaretur ad formam. Dicit autem huius transmutationis veram & efficientem causam esse agens naturalē, quod prædominans impressiones formæ inexistenti contrarias, & formæ quam ipsam vult introducere, conuenientes imprimit in materiam; sicque eam de forma transire facit sua actiua virtute, in formam.

Resipiscant, rogo, qui naturam ipsam omnium parentum solertissimam, omnemque philoso-

phiam

phiam euertere audent, hancque Chemiam naturalem philoſophiæ partem meliorem, admirabilem, & occultam, humano generi apprimè neceſſariam, ſuæ genitricis naturæ æmulam, quæ circa rerum naturas, cauſas, & virtutes abditas, maximè generis mineralis, verſatur, ignoranter rident. Quam Hermes ille Triſmegiſtus veram, ſine mendacio, certam, veriſſimam appellat: & quam probant Plato, Euſtathius, Suidas, Solinus, Strabo, Plinius, & alij permulti, & quam Geber, donum Dei altiſſimi, & benedicti, ſublimis, & glorioſi eſſe aſſerit. Lib 3.ca.91. Cuius miro artificio componitur puluis ille Regius, ſiue Sal fuſile, oleum, ſiue ſulphur naturæ non vrens, terra philoſophorum, Elixir, aurum potabile, ſeu philoſophorum, Aqua vitæ, tinctura, lapis pretioſus, Indus vel Indicus, ſeu philoſophicus, vel Medicina, quæ in tria rerum genera, animale, vegetale, & minerale, actiones mirandas facit, vt tertio capite fuſiùs tibi explanabitur. Ob id enim veteres philoſophi lapidem illum, animalem, vegetalem, & mineralem eſſe dixerunt. Quare lapis dictus eſt animalis, vegetalis, & mineralis. Vnde Arnaldus in Roſario: *Alchymia eſt vna pars celata philoſophiæ naturalis, præter alias partes neceſſaria: ex qua ars vna conſtituitur, cui non eſt par.* Illa enim lapides precioſi imperfecti, perficiuntur; corpus humanum ægrum ſanitati reſtituitur, & metalla imperfecta in aurum vel argentum tranſmutantur vno quodam corpore medicinali vniuerſali, ad quod omnes particularitates medicinæ ſunt reductæ & infuſæ. Faxit autem Deus opt. max. ne perniciosè incidas in manus & laqueos iſtorum impoſtorum, qui circa res

Alber. de Miner. l. 3. cap. 9. *qui per alba albificāt, & per citrina citrinant*, &c.

In sophistas & impostores.

Geber lib. 1. cap. 7.

ca res inutiles, vel fortasse prohibitas, tincturas albas, aut rubras sophisticas, augmentationes, multiplicationes, & extractiones auri (vt falso loquuntur) operam suam miserè ludunt, scienter & malitiose plebem passim, cui multa, vel aureos montes pollicentur, fallentes. Variis enim & vanis laboribus sophisticis facultates suas & aliorum consumunt, falsis, periculosis, damnosis, ac sophisticis studiis praxeos & mille imposturis transigunt æuum, omnemque vitam deterunt, quorum nonnulli pocula, alij fortunas, alij luxus, alij honores, alij turpissimas libidines sequuntur. Vnde malè audit aliquando apud multos illa vera, naturalis, rara, abdita, ac diuina ars Chemica, imò scientia tam supernaturalis, ita vt illusio, & mera deceptio habeatur, & credatur. Istos nebulones, sycophantas, impostores, sophistas nihili facias, asperneris, & longè arceas ab animo tuo, qui profectò philosophi Chemici vocabulo digni non sunt: quin potiùs synceros, siue probatos libros Chemicos, philosophiamque ipsam naturalem diu, multùm, & anxiè, non lucri, aut gloriæ gratia prorsus amplectaris & euoluas: Chemiamque illam sublimem, cœlitus demissam à patre luminum suspicias, illique consecratis faueas, & bene preceris. Ars enim illa in potentia diuina seruatur, & cui vult elargitur & subtrahit, qui est gloriosus & sublimis, & omni iustitia & bonitate repletus. Cui semper agendæ sunt gratiæ, & laudes decantandæ, pro ineffabili illius bonitate, & innumeris bonis naturæ hominum præstitis. Præterea ne incidas in quorundam huius pretio-

pretiosissimæ artis calumniatorum nugas, loquacitatem, & scripta, qui cùm in multa tempora ætatis suæ libros aliquot de hac arte scriptos per transennam & ignarè euoluerint; tanquam desperati, illam miserè contemnunt, & scriptis suis dedecorare student, variis ac falsis receptis suis de auro potabili conficiendo. Contemnunt enim quod ignorant, vel fortasse ab impostoribus & sophistis decepti, vel suæ humanæ sapientiæ & eloquentiæ inhærentes, falso sibi persuasi, se illam artem Chemicam, ex industria antiquorum philosophorum, imò diuinitus, obscurè scriptam, intelligere posse.

Scientia no habet inim cum præt ignorantem

Panormitanus iurisperitus super 5. decretalium, tit. De sortilegiis, cap. 2. Ex tuarum tenore.

Eodem enim loco dicit Panormitanus Alchymiam esse artem veram, & non prohibitam: sophisticatores autem & falsarios esse reprobandos. Et citat Oldra. & Ioan. Andr. Præterea addit videndum esse B. Tho. in 2. 2. q. 77. Et de hoc per Bald. in l. 1. quæ sunt regu. in vsibus feudorum. Et videndum Abbatem, & Hier. de Zanetinis in repe. cap. 1. De accu.

Hippocrates libr. 1. prognosticorum, cap. 1.

Oportet igitur agnoscere talium naturam affectionum, quantum supra vires corporis sit, pariter & si quid in morbis diuinum habetur, illius quoque ediscere

Veteres it legunt, *Est a tem in medic na quoddã cæ leste donum.*

prouiden-

Claruit anno Domini 141. *prouidentiam.* Aſcribitur Galeno de illa ſumma & occulta medicina locutum fuiſſe tertio Tegni (vt vocant) Canone, vtilitas verò vtrorumque. Lulli. in praxi teſta. c. 27 Prætereà an morbis depellendis hydrargyros, ſiue argentum viuum, accommodari poſſit, dubitat De ſimpl. l. 9 cap. 59. Galenus, quia illius vim & naturam occultam ignoraſſe fatetur, propterea quòd eius periculum aſſerit non feciſſe: neque quòd interimat ſi deuoretur, neque vbi foris admotum ſit.

Auicenna lib. 2. tract. 1. cap. 4. De operation. medicin. ſingular.

Virtus autem quæ diuidit & ponit vnamquanque complexionem ad partem quam meretur, ita vt non ponat virtutem reſolutiuam in partem materici, quæ effunditur ad membrum, neque infrigiditatiuam in latere materiei effuſæ ab eo, eſt natura docta obedire creatori ſublimi & glorioſo.

Idem libello De mineralibus, qui vulgò quartus Meteor. Ariſtotelis appellatur.

Sciant artifices Alchemiæ ſpecies ſiue formas metallorum verè tranſmutari non poſſe, niſi fortè in primam reducantur materiam, & ſic in aliud, quàm prius, permutentur. Hoc theorema ſiue ſit Auicennæ, ſiue Ariſtotelis, ita intelligas: *in primam materiam*, id eſt, *generi metallico proximam.* Illa autem eſt ar. vi. & ſulph. & non in primam primæ, ſeu remotam materiam: quia omnium rerum vna eſt materia. Nam vt prima materia propinqua hominis, eſt

vnio

vnio ſeminis vtriuſque parentis, viri & fœminæ: & prima materia propinqua metalli, eſt vnio argenti vi. & ſulphuris: Ita & prima materia propinqua Elixiris ſeu Medicinæ Chemicæ, eſt vnio corporis & ſpiritus, ad abbreuiationem quidem operis. Geber l. 3. ad finem.

Idem lib. De anima, dictione prima, cap. 2.

Si aurum & argentum non viderem, dicerem quòd non eſt magiſterium. Sed quia video, ſcio magiſterium eſſe verum.

Idem lib. & c. eiſdem.

Quæſiuerunt ab alio philoſopho, quid diceret de magiſterio lapidis: dixit, Per Deum ego reuelabo vobis, & non negabo. Qui accipit quod debet, & miſcet ſicut debet, & operatur ſicut debet, procedet inde quod debet procedere. Et qui dat medicinam illam ægroto ſicut debet, & quantum debet, exibit quod debet. Nullus enim Philoſophus fuit, qui negaret magiſterium, qui eſſet ſapiens.

ABVHALI in epiſtola de re tecta, ſi modò alius eſt ab Auicenna, cuius nomen fuit Haſen, & cuius pater fuit nominatus Hali, vnde dictus eſt Ebenhali, id eſt, filius Hali. Et quia filium habuit nomine Hali, dictus eſt Abuhali, id eſt, pater Hali.

Et nos quidem quod natura facit in mille millibus annorum ſecundum naturam, facimus illud idem artificialiter in tempore breui, ſicut in die vna, vel in vna Idem aiunt Geber, lib. 1. cap. 11. & ad finem l. 3

Rodian. l. 3. verborũ c. 4. & Albertus l. proposition. propos. 5.

hora diei, cum medicinis propinquis, quamuis tamen in longo tempore præparentur, reducendo ipsa corpora corrupta in sua minera ad substantiam claram & mineram incorruptam.

Idem.

Inquiramus ergo tincturam quam ignis non corrumpat, & substantiam quæ permisceatur liquefactis, & substantiam consolidatiuã & coagulatiuam, & adunatiuam, & fixam super ignem, & ingenium ad permiscendum ista ad inuicem, ita vt fiant vniendo vna substantia, in quam ignis non imprimat, & tingat cum eo quod est in ea de tinctura, & permisceatur cum ipso quod est in ipsa de substantia permißibili, & consolidetur cum eo quod est in ipsa de substantia consolidatiua, & figatur semper cum eo quod est in ipsa de substantia fixa. Si ergo peruenimus ad has quinque res, perueniet ad nos intentio nostra.

Idem ait Geber ad finẽ l. 3.

Rhazes libro cui titulus, Lumen luminum.

Corpus spiritale factum occultum est fermentum ratione ingreßionis. Nam corpus est forma, & spiritus est materia. Materia autem non potest subsistere absque forma. Sic anima mediante spiritu, non potest esse in lapide nostro, nisi mediante corpore.

Idem libro De diuinitate.

Oleum quod supernatauerit, auferatur tamdiu, donec nulla nigredo appareat magis, & rotunda nubecula ascendat, quæ relinquenda est, donec ipsius sublimatio sit formata.

Haly.

Haly.

Totum artificium in vno lapide continetur, cui nihil additur, aut commiscetur in toto, aut in parte, donec opus perficiatur.

Idem.

Aqua nostra non est simplex, vel nubis. Aqua enim est anima lapidis. Hæc citat B. Thom.

Idem libro Elixiris.

Hermes dixit in suo decreto, quòd vna pars istius elixiris cadit super 1090. Rogo te frater super fidē Dei, ne tantum secretum alicui ostendas, nisi filio nostro. Et quicunque hoc magisterio nostro secreto dignus fuerit, erit noster filius, & Deus alleuiet super se. Et cùm exaltatus fueris super omnes circulos huius mundi lunaris, memento tunc visitare pauperes, pupillos, & viduas, & tales similes in tribulatione eorum, vt valeas in die iudicij audire verbum Dei promissum, Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi. Matth. 25.

Dioscorides lib. 3. cap. 115.

Sulphur optimum existimatur viuum, quod Apyron vocant, nitedulæ modo splendidum, perlucens, minimè lapidosum, &c. Lege in illud caput Corollarium Barbari, cui in illa arte Chemica sulphur est vice maris: hydrargyros verò, id est, ar. vi. fæminæ, vt Democritus idcirco propterea omnium metallorum spumam esse argentum viuum prodiderit.

Sulphur naturæ non vrens. Lamina Crystal. Terra alba foliata.

ARNALDVS à Villa noua, libello qui vulgò testamentum eius inscribitur.

Lapis Philosophorum de terra scaturiens in igne perficitur, seu exaltatur, limpidissimæ aquæ potu sattatus ad minus horis duodecim, vndique visibiliter tumens.

Idem, in Rosario cap. 3.

Esto longanimis, & non festinanter extrahas tincturam, nec festinanter aut velociter quæras perficere, &c. Et ad finem eiusdem capitis ait: *Ideo charissime indiges, quòd in dissolutione lapidis labores, scilicet partes suas puriores disgregans ab impuris, vt grauioribus partibus abiectis, opus cum leuioribus perficiatur.*

Idem libro de Medic. simpl.

Aurum potabile quid.

Corpus dissolutum in aqua quæ dicitur perennis, est Aurum nostrum potabile.

Practica Valesci de Tharanta, quæ aliâs Philonium dicitur, libro 5. De Cura stranguriæ.

Et sine dubio lapis, siue medicina philosophorum, inter proprietates optimas & operationes quas perficit in corpore humano, habet proprietatem frangendi lapidem in renibus & vesica, & mundificandi vtrumque, vt dicit Beriensis.

Conciliator differentiarum Petri Aponensis medici ac philosophi differentia 59. litera P.

Spiritus sumitur pro corporibus Alchymicis sublimatis

matis subtilibus metalla transmutantibus, ex quibus Elixir, id est, lapis philosophorum construitur.

Plinius.

Lapis noster, est aqua extracta & separata à corpore nostro, quæ dicitur prima materia.

Idem.

Et scito fili, quòd lapis albus habita materia prima perfici potest intra annum philosophicum, qui dicitur mensis vulgaris.

Idem.

Et istud Elixir, quod Medicina perfecta vocatur, habet virtutem ante omnes medicinas & potiones Hippocratis, Galeni, Auicennæ, & omnium philosophorum, sanandi infirmitates omnes hominum, & liquabilium imperfectorum. Summa & vera medicina quæ.

BERNARDVS Comes Treuerus in libro responsorio ad Tho. de Bononia Caroli Regis octaui medicum.

Sunt quædam Mercurij sublimationes ab eius proprijs corporibus, quæ sibi per intima amalgamando coniunguntur & commiscentur, ex quibus pluries releuatus, & reconiunctus, superfluitates reijcit, & amittit, & non confunditur in natura. Et ideo vero artifici prodest in speciebus metallicis soluendis.

Idem.

Sed medicina nostra fixa, mirabiliter prodest tam ad homines, quàm ad metalla.

MARSILIVS Ficinus lib. De vita cœlitus comparanda cap. 3.

Proinde scimus viuentia omnia tam plantas, quàm animalia per quendam spiritum huic similem viuere, atque generare. Atque inter elementa (quod maximè spiritale est) velocissimè generare, perpetuóq; moueri quasi viuens. Sed quæres intereà, Si elementa atque animantes generant, cur lapides & metalla non generant, quæ inter elementa & animantes media sunt? Quia videlicet spiritus in eis crassiori materia cohibetur, qui si quando ritè secernatur, secretúsque conseruetur tanquam seminaria virtus poterit sibi simile generare, si modò materiæ cuidam adhibeatur generis eiusdem, qualem spiritum physici diligentes sublimatione quadam ad ignem ex auro secernentes, cuiuis metallorum adhibebunt, aurúmque efficient. Talem vtique spiritum ex auro, vel ex alio ritè tractum atque seruatum, Elixir Arabes astrologi nominant.

Quē metalli spiritū siue igneum vaporem Heraclitus animā esse metalli dixit.

ARISTOTELES libro De secretis secretorum ad regem Alexandrum cap. 65.

In primis ô Alexander tradere tibi volo secretorum maximum secretum, & diuina potentia iuuet te ad perficiendum propositum, & ad celandum arcanum. Accipe ergo lapidem animalem, vegetalem, & mineralem, qui non est lapis, nec habet naturam lapidis, &c. Diuide ergo ipsum in quatuor partes, & qualibet pars habet vnam naturam. Deinde compone ipsum æqualiter & proportionaliter, ita vt non sit in eo diuisio, aut repugnantia, & habebis propositum Domino concedente.

Arist metallicum ouum nominat: & hoc Pythago. fabam.

Præterea

Præterea idem ait, *quando habueris aquam ex aëre, aërem ex igne, & ignem ex terra, tunc habebis magisterium.*

ALEXANDER Imperator in epistola quadam.

Homo noster antiquus, est draco noster. Iste comedit caput suum cum cauda sua. Et caput & cauda est anima & spiritus, & anima & spiritus sunt creati de luce, & hoc & hoc ex oriente & occidente per expellentem nocumenta. Non mentior, quia quod dixi, vidi in ciuitate.

Geber lib. 3. cap. 79.

Iam igitur laudetur sublimis naturarum Deus benedictus & gloriosus, qui nobis omnium medicinarum reuelauit seriem, cum illius experientia, quam illius inuestigationis bonitate, & nostri laboris instantia perquisiuimus, & oculo vidimus, & manu tetigimus complementum illius nostro magisterio indagatum.

ALBERTVS cognomento Magnus Ratispon. Ecclesiæ Episcopus lib. miner. 3. cap. 1.

De transmutatione horum corporum metallicorum, & mutatione vnius in aliud, non est physici determinare, sed artis, quæ est Alchymia. Est autem optimum genus huius inquisitionis, & certissimum, quia tunc per causam vniuscuiusque rei propriam, res cognoscitur, & de accidentibus eius minimè dubitatur, nec est difficile cognoscere.

Virgilius lib. 6. Æneidos.

Duc nigras pecudes, ea prima piacula sunto.

Et paulò pòst.

Ramus Aureus quid.

Accipe quæ peragenda prius, latet arbore opaca
Aureus, & foliis & lento vimine Ramus,
Iunoni infernæ dictus sacer, quem tegit omnis
Lucus, & obscuris claudunt in vallibus vmbræ.
Sed non antè datur telluris operta subire,
Auricomos nisi quis decerpserit arbore fœtus:
Hoc sibi pulchra suum ferri Proserpina munus
Instituit: primo auulso non deficit alter
Aureus, & simili frondescit virga metallo.
Ergo altè vestiga oculis, & ritè repertum
Carpe manu: namque ipse volens, faciliśq; sequetur
Si te fata vocant, aliter non viribus vllis
Vincere, nec duro poteris conuellere ferro.

Idem ecloga 6.

Dum canit Hesperidum miratam mala puellam.

Hesperides enim appellatæ sunt Hesperi fratris Atlantis filiæ, quæ habebant hortos nemore aurifero pretiosos, vbi erat draco custos peruigil mala aurea vigilanter obseruans, quem interfecit Hercules, pomaque aurea retulit ad Eurysthea. Iuxta Hesiod. in Theog. Ouid. 10. Metamorph. & Theocritum in Comaste. Hanc autē fabulam & figmenta, Eustathius & Suidas auctores Græci celeberrimi ad Chemicam artem referunt. Hæc Vuillichius in posterioribus scholiis in 6. eclogam Virgilij.

Suidas.

χημεία ἡ τοῦ χρυσοῦ, *&c. Id est, Chemia, est auri &*

genti confectio, cuius libro Diocletianus perquisitos cußit, eò quòd Ægyptij res nouas contra Diocletianum moliti fuerant, duriter atque hostiliter eos tractauit. Quo tempore etiam libros de Chemia auri & argenti à veteribus conscriptos conquisiuit, & exußit, ne deinceps Ægyptiis diuitiæ ex arte illa contingerent, néve pecuniarum affluentia confisi in posterum Romanis rebellarent. Hæc ille. Vide Orosium lib. 7. cap. 16. Et Constantinum diaconum in vita Diocletiani Cæsaris. Anno Christi 296.

Idem.

Τοῦτο δ' οὐχ ὡς ποιητικῶς, &c. *Id est, Hoc autem non vt ficticiè dicitur, sed liber erat in velleribus conscriptus, continens quomodo per Chemiam fieri debeat aurum.* Hæc ille. Vellus aureum quid.

Cæterùm, multi libri de hac arte Chemica, præter à nobis citatos, Arabicè, Græcè & Latinè scripti desiderantur. In quorum numero tres in Regia Galliæ bibliotheca, Græcè & manu scripti asseruantur, Zosimus, de secreta arte & compositione aquarum ad χρυσοποιίαν. Isaac monachus, qui scripsit ἀργύρου μέθοδον. & Blemidas, περὶ χρυσοποιίας. Libri de arte Chemica scripti Arabicè, Græcè & Latinè.

Arabicè enim scripserunt, Geber ille Abenhaen. vel Ebenhaen. Habebacar, Markos, Ydrid, Yesid Constantinopolitanus, Albumazar, Auicenna, siue Abuhali, id est, pater Hali, Rhazes, Hali, Morienus, Alphidius, Maria, Calid Babylonius de secretis secretorum, Adros, Chora, Carab. Seneca ad Adros Regem Arabiæ, & Sedacerius.

Græcè

Græcè verò desiderantur, Olympiodorus Alexandrinus, Osthanes, Pelagius Aphricanus, Zosimus, Isaac monachus, Blemidas, Theophilus, Synesius, Ptolemæus, Euclides, Apuleius, Heliodorus ad Theodosium, Dardanus, Demetrius, Democritus, Aristoteles de Mineralibus libr. 3. Theophrastus, Albugazal præceptor Platonis in hac arte, Plato iunior. in cuius Aphorismos, seu scholia commentarium scripsit Hameth, siue Hamech, & Seneca.

Latinè autem, Ioannitius, Rosinus, Ephistus, Florus, Almazatus ad Archiepiscopum Saragotiæ, Bernardus Comes Treuerus qui turbam Philosophorum à se collectam, & aliam ab illa quæ passim circunfertur, & quam sæpè citat, scripsit. Ray. Lulli. Ioan. à Rupe scissâ. Pontius, Hortulanus, Clemens de secretis naturæ. Gilbertus Cardinalis. B. Ægidius eremita, cui ascribitur Canticum regium carmine Gallicè scriptũ in honorẽ Conceptionis beatæ Mariæ. Magister Hospitalis, Androicus episcopus, Petrus & Durãdus monachi, Valerandus de Bosco, Theodorus, Petrus à Villa noua frater Arnaldi, Sũma textualis, de sacro Bosco, B. Thomas de essentiis essentiarum & eiusdem breuiloquium, Stephanus, cuius est liber De magna & sacra scientia, Ioan. Dastinus Anglus, Holcot, Scotus, G. Parisiensis, Bernardus de Grauia, Dumbeleius, Aloisius Marlianus, Regor, Richardus anglicus περὶ χημείας, cui titulum fecit Correctorium, & Ianus Lacinius, à nonnullis visi, & alij permulti à quibusdam, qui illos huius artis studiosis prodere nolunt, auidè & secretò,

& secretò, vt olim libri Sibyllini, asseruati. Sunt & alij quamplurimi libri auctoribus incertis. Multi etiam gallicè adfabrè scripti. Insuper multi hanc artem Chemicam exercuerunt, ad finemq. illius, & pulueris compositionem feliciter peruenerunt, qui ab Auicenna lib. De anima, dictione prima, ad finem cap. septimi; & à Vincentio in speculo naturali, enumerantur.

IOAN. Picus Mirandula libro De dignitate hominis.

Veteres consueuerunt res diuinas, altas & sublimes, sub velo multorum ænigmatum, & fabularum poëticarum describere.

Veteres enim permulti sub fabulis poëticis tanta mysteria huius pretiosissimæ artis, & naturæ secretiora tractauerunt, & data opera occuluerunt. Nam fabulas, de dracone quem Cadmus interfecit, qui postea admonitu Palladis, interfecti dentes seuit, vnde extiterunt illi terrigenæ fratres. De sacrificio Hecati apud Orpheum. De Medæa, quæ Æsonem filium Iasonis in iuuentutem restituisse fingitur. De Saturno, qui Cælo patri suo genitalia abscidit, & in mare proiecit, ex quorum commixtione sanguinis cum spuma maris Venus inde procreata est. De eodem, qui dicitur filios, mox vt nati sunt, comedisse. De Æsculapio qui eos suscitabat qui iam ferè erant extincti. De Ioue, qui sese conuertit in pluuiam auream. De pugna Herculis & Anthei. De oculis Argi in pauonis caudam conuersis. De Orpheo. De Pyrrho & Deucalione. De Androgynis seu Herma-

Poëtarum figmenta Chemica.

Hermaphroditis. De Gorgone, qui omnes se conspicientes in lapides conuertebat. De Mida qui annuente Baccho, quicquid tangeret, in aurum conuertebat. De Ioue conuerso in aquilam, qui subuolauit cum Ganymede in cælum. De Dædalo & Icaro. De nube spissa cum qua Iupiter circumdedit Io. De Phœnice, qui semper reuiuiscit. De Salamandra. De dracone, qui suo graui halitu homines interficit. De Demogorgone, vt scribit Boccatius, abauo omnium deorum gentilium & ab omni parte circumdato tenebris, nebulis, caligine, habitante in mediis terræ visceribus, qui vbi natus fuerit, vestitur quodam viridi pallio, humiditate quadam aspersus, & non prognatus ab aliquo, sed æternus, & parens omnium rerum. De Vulcano, qui cùm recèns natus turpis esset & deformis, præcipitatus fuit in insulam Lemnos. De Helenes pharmaco, quod luctus, bilis, malive obliuia cunctis bibentibus inducebat: & similia poëtarum & philosophorum antiquorum figmenta, & ænigmata, Eustathius, Suidas, & alij auctores grauissimi, ad Chemicam artem referenda esse interpretantur. Etiam sub variis ædificiis, quale fuit Labyrinthus. Picturis, imagunculis, quales erant Sileni. Characteribus, monstris, quales erant Sphinx, facie pueliari, alis volucris, & pedibus leoninis: & Chimæra, prima parte leonis, imagine, ac ingenio, media draconis, postrema capræ. Et animalibus variè depictis & transmutatis, quæ in templorum foribus & palatiis, insculpta erant. Huius generis & figmenti, est Nicolai Flametij ænigma, quo effinguntur

Sileni Alcibiadis.

Anno Dom. 1393.

guatur duo ſerpentes, ſeu dracones, quorum vnus eſt alatus, alter verò minimè, & vnus leo alatus, &c. Quod hodie in beatorum Innocentum cœmeterio Lutetiæ Pariſiorum conſpicitur. Quæ à doctiſſimis tantùm, qui huius Chemici ſecreti tam rari, tam latentis, tam cœleſtis theſauri, haberent cognitionem, intelligebantur. Sic Pythagoras, & Plato ſuam philoſophiam numeris ſuis obſcurarunt. Deum enim, & animas noſtras, & cuncta quæ ſunt in mundo numeris conſtare aſſeruit Pythagoras, ex eorumque concentu & harmonia vniuerſa gigni. Et Ariſtoteles libros aliquot à ſe editos perinde ac ſi non fuiſſent editi, quadam ad Alexandrum epiſtola, teſtatur. Vides ergo artem Chemicam non eſſe artem nouam, aut incertam, vt ignarum vulgus putat.

DE PVLVERIS,

SIVE MEDICINÆ PHILOSOPHORVM, ET AVRI POTABILIS materiâ & compositione,

CAPVT SECVNDVM.

Minima pars fæcum sufficit.

Ignis secretus.

Thermæ philosophorum Balneum Mariæ.

ILLA enim fit, ex pura argenti viui substantia, vice seminis fœminæ, siue materiæ ac argenti viui, & ex medіocri & pauca sulphuris mundi auri, vel argenti, connaturalis & homogenei, vice maris, siue formæ ac sulphuris: igne artificiali, leni, æquali, humido, aëreo, vapido, exhalabili, propinquo natura, subtiliter, & continenter mouente, digerente, & excitante tantùm, & non vincēte, virtutem mineralem formatiuam, siue coadiuuante proportionalem & naturalem ignem. optima commixtione coniunctorum, fæcibus heterogeneis primùm suauiter, & magno ingenio sublatis, ad solutionem, & fixionem fusilem, permiscibilem, ignibus inexpugnabilem, & cum omnis perfectionis differentia perficientem, siue transmutantem, frequenti sublimatione, seu contritione & assatione deductorum. Intereà dum plura de Harmonia Chemica, principiis naturalibus rei metallicæ & artis, ac operibus tum naturæ, tum artis, tibi per otium scribimus, hæc sufficiant, & boni consule.

DE PVLVERIS,

SEV MEDICINÆ PHILOSOPHORVM, AC AVRI POTABILIS, MIRA, naturali, occulta, ac diuina vi, actione, & operatione in tria rerum genera, Animale, Vegetale & Minerale.

CAPVT TERTIVM.

PVLVIS ille Chemicus, siue lapidem philosophicum, siue salem fusilem, siue sulphur, siue Elixir, siue medicinam, siue Aurum potabile appelles, miram certè vim habet in tria rerum genera, animale, vegetale, & minerale. Vnde veteres philosophi, animalem, vegetalem, & mineralem esse dixerunt. Nonnulli enim appellant Animalem, quia animam & spiritum habet: vel, quia aqua est anima eius & vita, quæ corpus seu terram viuificat & nutrit. Vegetalem, quia vigescit, alitur, & vegetatur appositiuè, crescitque siue multiplicatur, aut virtute, aut quantitate. Mineralem, quia à mineralibus extrahitur.

Quare dictus est, animalis, vegetalis & mineralis.

Multiplicatio duplex.

In Animale quidem. Nam omne animal, siue hominem, siue brutum, ægrum intrinsecus vel extrinsecus, ad sanitatem breuissimo tempore restituit. Quia qualitates primas, siue elementa ipsa, quæ à naturali symmetria deflectunt, &

Mira vis lapidis, siue medicinæ Chemicæ, ac auri potabilis in genus animale.

 actiones

actiones labefactatas, humoresque peccantes intemperamentorum ac corruptionis causas, siue internas & à se, siue extrinsecus incidentes, ad naturam suam reducit. Est enim ferè incorruptibilis, temperata per elementa ipsa purificata, & secreta à fæcibus quatuor elementorum, quæ sunt corruptionis causa potissima: ideo temperatum corpus & sanum efficit, veluti spiritus vitæ, cuius vi, & ope, natura digerit indigestibile, & omne indigestum educit, omnes qualitates superuacuas & peccantes abscindit, spiritum viuificat, molle indurat, durum mollificat, spissum rarefacit, tenue inspissat, macrum impinguat, pingue extenuat, calidum refrigerat, frigidum excalfacit, humidum desiccat, siccum humectat, & calorem naturalem, seu humidum substantificum corroborat & confirmat. Estque veluti (vt multi scribunt) medicinale corpus vniuersale, ad quod omnes medicinarum particularitates facultatesque sunt reductæ ac infusæ. Propterea quòd illa est quinta veluti quædam natura, à veteribus philosophis inducta, siue essentia, & anima tenuissima, purgatissima, putrefactioni, seu corruptioni diutissimè plurimumque resistens, & quàm ægerrimè & laboriosissimè corruptibilis, in æqualitate, & homogeneitate consistens, soluta ab omni concretione mortali, cœlestis, simplexque elementorum substantia, veluti temperata ex ipsis elementis purificata, secreta à materia crassiori, & superfluitate heterogenea quatuor elementorum, sublimatione illa Chemica. Vnde Eusebius lib. contra philosophos, cap. 44. Socrates & Plato ideas

Fæces impediunt quintã naturam. vnde ait Hermes, *Terram separabis ab igne, subtile a spisso, & Alphid. Fæces proiice.*

Quinta natura seu essentia. Hyle. Idea.

seiunctas

ſeiunctas à materia, ſubſtantias exiſtimant. Ariſt. contrà, lib. 1. De cœlo cap. 2. Nam Elixir ſeu puluis ille philoſophorum, aut aurum potabile, ex homogenea, puriſſima, eademq́ue ſubtiliſſima metalli fit ſubſtantia, cuiuis humori permiſcibili. Quid autem inuenias ſub cœlo magis homogeneum magiſque ſimilare, tenuioris ſubſtantiæ, temperatioris naturæ, corruptionique, ſeu putrefactioni minus obnoxium, ipſa pura metallorum, ſiue ar. vi. ſubſtantia? Elementa enim, vt Ariſtoteli placet, rerum naturalium in ſuo centro ſunt puriſſima. Ergo partibus heterogeneis, quæ ſibi per accidens superuenerunt, ſublatis, remanebit res puriſſima & homogenea, veluti eius ſemen, ſpiritus atque anima. Non eſt ergo quòd mireris, aut inſcius negare audeas, illam vim Elixiris abditam, & admodum quàm paucis cognitam, vel creditam, niſi & velis Galenum, & quod experimento patet, mirari, aut negare, cùm inducit ſepticas vocatas facultates, cauſticam caliditatem poſſidentes, ſed propter ſubſtantiæ tenuitatem citra dolorem adurentes. Num miraris, & negare deſinis, cùm videas ar. vi. ceu metalli ſubſtantiam, igni, aëri, aquæ, terræque abſque læſione ferè peruiam, & ob ſubſtantiæ homogeneitatem per minima vnitam & commixtam corruptioni diutiſſimè reſiſtere, & quibuſuis iniuriis ſubuerti ferè non poſſe, quod certè nulli alteri rei generis ſiue animalis, ſiue vegetalis, contingit? Arnaldus lib. De ſecretis naturæ cap. 1. *Solus Mercurius eſt incombuſtibilis & aëreus, quod perfectionis eſt ſignum.* Præterea quid dicas de auro, quod

Elixir, e mediocri & puriſſima a[r.] vi. fit ſubſta[n]tia

Libro De ſimpl. 9. cap. de conia.

Propter maximam ſubtilitatē, maximè & citiſſimè agūt, & minimè lædunt.

quau-

quantumuis ignitum, non minuitur, imò vel Aristotele teste ad finem 3. Meteor. omnia metallica vruntur, quòd siccam exhalationem habeant. At aurum, vnum omnium nequaquam vri solet, & vt testatur Plinius, quò sæpius ardet, redditur perfectius, ob æqualem ar. vi. & sulphuris in eius generatione concursum & puritatem. Scotus etiam in sua Alchemia dicit, *Vt omnia metalla imperfecta vocantur, si auro comparare velis, & omnia animantia imperfecta sunt, si illa naturæ angelicæ & substantiis incorporeis, & à materia seiunctis compares: ita aurum ipsum, est imperfectius atque impurius nostra Medicina, quæ est lapis noster, quamuis sit de natura auri: quia est magis subtiliata & depurata à suis fæcibus, & abundans in subtilitate homogenea. Simpliciora enim sunt compositioribus perfectiora, fortiusq; & mirabilius sua subtilitate agunt, vt acutum magis pungit quàm obtusum.* Hæc ille. Aristoteli enim elementa in suo centro sunt purissima. Non dubito propterea quin fatearis aurum ipsum ad vltimam puritatem, & ad extremam subtilitatem & simplicitatem reductum, multò perfectius, incorruptibiliusque esse auro naturali, & ad potabilem substantiam conuersum longissimo tempore corpora animantium à corruptione & intemperie conseruare. Vnde Scotus ait, *Ignis tollit esse ab omni materia, nisi à sole, id est, auro, ita quòd alia corpora metallica non possunt conseruari in suo esse, nisi in statu solari.* Nec asserere tamen velim medicinam hanc omnino incorruptibilem esse, quia fit ex re naturali, sed propterea quòd componitur ex materia cæteris omnibus incorruptibiliori, estque

redacta ad subtilitatem, maximamque simplicitatem, facta fæcum elementorum corruptibilium separatione, ideo si illam ritè conseruaueris, diu incorrupta manebit, & ægrotis animantibus exhibita, longo tempore illa in sanitate conseruabit. Vnde medici iubent, vt cibo vtamur minus corruptibili. Cuius summæ medicinæ cognitioni, studio, & perquisitioni, humano generi perquàm necessariis, multi priscorum philosophorum, spiritu diuino inspirante, sese consecrarunt, hac potissimum ratione, eoque fine, non vt arte illa Chemica, imperfecta metalla in perfecta transmutarent, sicque ditescerent, sed vt homines ægros curarent, vitamque illorum maximè diuturnam (in gloriam Dei) & ad præfinitum à Deo terminum illæsam cõseruarent. Optabilius enim, & sanctius est, hominem ægrum curare, & in sanitate diutius conseruare, quàm opibus ditescere, & illarum affluentia, ac cupiditate inexplebili, fortasse anima tandem perire. Vnde scribitur Ecclesf. 30. *Non est census super censum salutis corporis.* Idem 10 *Auaro autem nihil est scelestius.* Nec sunt intereà prætermittendæ à philosophis Chemicis illæ Dei præceptiones de Eleemosyna danda, & pauperibus alendis, non omissis prudentia & diligenti ac secreta cura ægrotorum sanandorum. *Hilarem datorem diligit Deus. Dispersit, dedit pauperibus: iustitia eius manet in seculum sæculi. Memento paupertatis in tempore abundantiæ. Vestra abundantia, pauperum inopiam suppleat.* Morbus (vt tradunt medici) est immoderatio, siue intemperies quatuor elementorum, seu humorum, ex quibus

Quare prisc. philosophi Chemiam tractauerint

Ecclesf. 35. Psal. 111. Ecclesf. 18. 2. Cor. 8.

Ratiocinari

corpus humanum & consistit, & ægrotat, & valet: atqui medicina illa Chemica, siue Aurum potabile, res est homogenea, & vniformis substantiæ in æqualitate consistens, anima subtilissima, secreta à fæcibus, & veluti simplex elementorum substantia, & ideo temperata, corruptioni, siue putrefactioni, quamminimùm obnoxia. Quare corporis humani elementa, seu humores temperat, caloremque insitum, & humidum substantificum corroborat, & ægrum sanitati, moderationi, & temperiei restituit: sicque ad præfinitum à Deo vitæ terminum à morbo tutum atque integrum conseruabitur, si modò illa medicina prudenter vtendo, naturæ suæ vires, & corporis complexionem aliâs supra modum non læserit. Vnde Geber lib. 1. cap. 33. *Aurum est medicina lætificans, & in iuuentute corpus conseruans. Insuper notauit quidam auctor innominatus, & scriptum reliquit, Deus cæli gloriosus, qui est benedictus, in genere creaturarum ordine temporis vltimum formatum fecit hominem, quem omnium creaturarum aliarum dominum constituit. Vnde elicimus, omnia facta & creata esse propter hominem. Cùm ergo homo sit finis omnium, erit etiam finis ad quem ordinatur summa illa medicina, quæ Elixir dicitur, quæ non tantùm restauratrix est & reformatrix metallorum imperfectorum, sed etiam animalium ægrorum & infirmorum. Est enim argumentum sufficiens philosophicum, quòd actus actiuorum fortius agunt in dispositis patientibus, quàm in non dispositis. Cùm autem hæc summa medicina nihil aliud sit, quàm calor naturalis multiplicatus in substantia Mercurij fixa, & virtus caloris*

Statutum est hominibus semel mori, Heb. 9.

Vis medicinæ Chemicæ.

loris sit congregare homogenea & separare heterogenea: necessariò hæc medicina suo calore viuifico in corporibus animalium separabit heterogenea, conseruando spiritus & humores in homine citius, quàm in natura metallorum, propterea quòd homo calore suo naturali proprio separat superfluitates heterogeneas, quas metalli calore proprio & connaturali minimè separare possunt, vt concipimus experimentorum persuasione. Hæc ille. Est enim (vt quidam scribit) hæc medicina spiritus vitæ penetrans omnes alios spiritus, præbens vitam, tincturam, & perfectionem tam corporibus solidis, quàm corporibus animatis, cùm sit subtilis substantiæ, & spiritalis naturæ multarum virtutum, & virium occultarum. De modo autem exhibendæ & dispensandæ illius medicinæ ægrotantibus, in potionibus, & catapotiis, consule librum Arnaldi à Villa noua, quem edidit de aqua vitæ: Lullium item de aqua vitæ, & de simplicibus, & secretis naturæ siue quinta essentia: & Io. à Rupe scissa, De consideratione quintæ essentiæ lib. 2. & G. Parisien. cap. De effectibus huius artis.

Mira lapidis siue medicinæ Chemicæ vis & operatio in genus vegetale.

In genus Vegetale has facit actiones. Nam arborum & plantarum generationes, vt scribit Theophrastus De historia plantarum lib. 2. cap. 1. factitantur, aut sponte, aut semine, aut radice, aut auulsione, aut ramo, aut surculo, aut ipso trunco, aut etiam ligno minutatim conciso, illisque sæpè morbi accidunt, aut communes, vel priuati quibus intereant. Quibus sanè medetur medicina illa. Omnes enim plantas, arbores, frutices, suffrutices, & herbas tempore veris magno ac

 miro

miro suo calore viuificat, illarumque vim genitalem corroborat & excitat. Nam si illius medicinæ in aquæ dissolutæ quantitatem aliquam, in cor, seu centrum trunci vitis inieceris, flores & folia nascentur, fructumque mense Maio producet: sic in cæteris plantis, propterea quòd nihil aliud est, quàm calor veluti naturalis infixus suo humido radicali: & quia, vt Lullius scribit in praxi testamen. cap. 27. natura suo instinctu maximè desiderat, appetitque esse in profundo corporis elementati, in quo operatur, illius calorem naturalem, vimq. sementificam confirmando, quia est peruia omnibus corporibus, vnde Hyle appellata est.

Hyle.

Mira lapidis, siue medicinæ Chemicæ vis in genus minerale.

In genus Minerale. Nam omne corpus metallicum imperfectum, plumbum scilicet, stannum, æs, & ferrum, præterea & argentum viuum vulgi, transformat vel in argentum, vel in aurum, cùm omnis perfectionis differentia, puritatis, ponderis, fixionis, coloris, extensionis, examinis seu probationis cineritij, cæmenti, ignitionis, fusionis, super vapores acutorum expositionis, adurentis sulphuris mixtionis, extinctionis, calcinationis, & reductionis reiterationis, & ar. vi. facilis, aut difficilis susceptionis. Præterea lapidum pretiosorum ægritudines, seu imperfectiones, aut diminutiones vel perspicuitatis, vel coloris, vel duritiei, vel ponderositatis curat & perficit, & ad virtutem naturalem, imò perfectiorem reducit, ac (vt scribit Albertus lib. Miner. 1. cap. 1.) vnum in alterum transmutat, antidoto illo medicinæ eius, quam Elixir vocant Alchymici, eorumque

Eiusdem vis in lapides pretiosos.

ægri

ægritudines curantur, aut occulta eorum manifestantur, aut manifesta conteguntur. Arte enim illa Chemica componuntur perfectissimè hi lapides, Smaragdus, Carbunculus, siue Anthrax, aut Rubinus vulgò, Adamas, siue Diamantes, Beryllus, Balagius, siue Palatius, Chrysoprassus, Chrysolithus, & alij. De hac lapidum formatione, & metamorphosi Chemica, plura legere poteris apud Lullium in Theoria & Praxi sui lapidarij: & in praxi sui test. cap. 35. Addi possunt quæ scribit Plinius de Cleopatra, quæ vi Aceti philosophici margaritas resoluit, & liquefactas absorbuit, solamque in cœna vna centies *sestertium, spectante Antonio, cœnasse. Huius Cleopatræ meminit Barbarus corollario in Dioscorid. lib. 5. cap. 115. vbi ait, tres fœminas lapidem illum philosophic. composuisse, Cleopatram, Taphuntiam, & Iudææ gentis Mariam, cuius liber passim circumfertur.

Quòd arte Chemica, ex crystallo fiat lapides pretiosi.

Libro 9. cap. 35.

Id est, 250. millia aureorum.

INSVPER, mixtione huius medicinæ seu pulueris, vitrum sit flexibile, seu malleabile.

Plinius, l. 36. cap. 26.

FINIS.

Gratiæ sint Christo.

RELIQVVM est, huius sacræ, raræ, & abditæ artis Chemicæ studiose, vt causam adferamus, quare quæ sequitur doctrina excerpta ex Galeno, adiecta sit ad calcem huius libelli nostri. Quod profecto factum est, vt breui ac dilucida illius doctrinæ intelligentia, quædam Chemicorum proposita obscura, tum in theoria, tum in praxi huius artis ab illis scripta, tibi clariora fiant.

GALENVS, De simplicibus libr. 9. cap. de Conia.

Vt cineres differunt ratione lignorum, lapidū, aut alterius rei, sic & lixiuia.

Abluto cinere fit lixiuium. Cinerem autem vstorum corporum reliquias Latini nuncupant, siue natura sint lapidea, siue arborum, animaliúmve particulæ. Fit ergo lixiuium pro eius quod eluitur natura: eius quidem quod empyreuma, siue igneam naturam habet acerrimam, ipsum quoque acerrimum est, eius quod tale non est, etiam moderatius. Quare & septicis vocatis facultatibus commiscetur, vtpote causticam caliditatem possidens, sed propter substantiæ tenuitatem citra dolorem adurens.

AVCTO-

AVCTORES CITATI IN HOC LIBELLO, qui hanc artem Chemicam approbarunt.

EX AVCTORIBVS SACRIS.

ESDRAS
Salomon *Prophetæ.*
Dauid

EX THEOLOGIS.

B. Augustinus
Adam à sancto Victore
D. Thom. Aquinas
Albertus Episcopus Ratisbon.
Gulielmus Parisiensis
Scotus doctor subtilis
Vincentius monachus
Gaspar Contarenus Card.
Chrysigenus Polydorus.

EX IVRISPERITIS.

Oldradus
Io. Andreas
Panormitanus.

EX MEDICIS.

Hippocrates
Galenus
Auicenna
Abuhali
Rhazes, Haly
Dioscorides
Arnaldus à Villa noua
Valescus de Tharanta
Petrus Aponensis.

EX PHILOSOPHIS.

Hermes Trismegistus
Geber Abenhaen
Aristoteles
Alexander Rex Macedoniæ
Suidas
Ray. Lullius
Marsilius Ficinus
Plinius Alchemista
Io. Dastinus
Bernardus Comes Treuerus
Io. Picus Mirandula.

EX POETIS.

Virgilius.

LIBELLVS, QVI TESTAMENTVM ARNALDI A VILLA NOVA INSCRIBITVR.

LAPIS Philoſophorum de terra ſcaturiens in igne perficitur ſeu exaltatur: limpidiſſimæ aquæ potu ſatiatus ad minus horis duodecim vndiq. viſibiliter tumens. Deinde in ſtupha poſitus aëris ſicci & mediocriter calidi vapore depuratus extraneo ſoliditatem ſuarum partium adipiſcitur, & ab humore extenuatus ſuperfluo, fit aptus contritioni. Quibus peractis, ex purioribus eius partibus virgineum lac exprimitur, quod confeſtim in Ouum Philoſophorum poſitum, tandiu pullifica concoctione foueri non deſinit, donec colorum varietate denudatus cum compare ſuo in niueo colore lætificat, & extunc ſine metu periculi, ſuſtinet pœnas ignis creſcentis, donec colore tinctus purpureo, egrediatur ex monumento cum regia poteſtate.

FINIS.

Psalm. 92.

Vir insipiens non cognoscet, & stultus non intelliget hæc.

Eccles. 38.

Scientia medici exaltabit caput illius, & coram magnatibus in admiratione erit.

EVIDENS ET MANIFESTA ARTIS CHEMICÆ COMPROBATIO,

Ex Petri Apiani Antiquitatibus desumpta.

PATAVII *ante aliquot annos mirabile Alchymicæ artis argumentum inuentum est. Vrna fictilis erat, his notata versibus:*

PLVTONI SACRVM MVNVS NE ATTINGITE FVRES:
IGNOTVM EST VOBIS HAC QVOD IN VRNA LATET.
NAMQVE ELEMENTA GRAVI CLAVSIT DIGESTA LABORE
VASE SVB HOC MODICO MAXIMVS OLIBIVS.
ADSIT FECVNDO CVSTOS SIBI COPIA CORNV,
NE PRETIVM TANTI DEPEREAT LATICIS.

Intra hanc vrnam reperta est minor alia, quâ apertâ, duæ ampullæ inuentæ sunt, affabrè elaboratæ; altera ex argento, altera ex auro, purißimo quodam liquore plenæ, quo lucerna adhuc ardens per multa secula conseruata putatur. Vrnulæ inscripti erant hi versus:

ABITE HINC PESSIMI FVRES,
VOS QVID VOLTIS VESTRIS CVM OCVLIS EMISSITIIS?
ABITE HINC VESTRO CVM MERCVRIO PETASATO CADVCEATOQVE:
MAXIMVS MAXIMO DONVM PLOTONI HOC SACRVM FACIT.

FINIS.